

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)	zu Bild Nr. 0856
	0854
	0860
	0850
	0865
	0845
	0905
	0805
	0955
	0755
	0355
	Ende
	Anfang
283	
<p>effundebat. Fuit praeterea clemens in devictos et in verbo valde stabilis et in omnibus clarissimus, cui nihil aliud ad suam laudem defuit, nisi christiani nominis caracter, et quia eo insignitus non erat, contra Christum et christianum populum se erigebat, et fuit factum flagellum Christianorum in oriente, ipse (279 A) etiam expugnavit Christianos, expulit Latinos, terram sanctam debellavit et Jerosolymam cepit et dominicum sepulchrum sibi subjecit et ornatum ecclesiae orientalis tulit et coronam ac gloriam fidelium Christi in ignominiam vertit, ut sequentia monstrabunt.</p> <p>Hoc autem notabile legitur in quadam chronica de hoc Saladino. Dum enim moriturus esset, mandavit, in sui funeris trophyum tale ante corpus suum deferri spectaculum: pannum videlicet vilem et nigrum, in lancea suspensum, cui praecedenter praeco, clamans: Saladinus, Asiae dominator, ex tanto regno tantisque opibus moriens nil aliud secum defert nisi hunc vilem panniculum.</p> <p>Igitur Almaricus, rex Jerusalem, videns Saladinum, Aegypti et Syriae regem, prudentem et cautulosum et ad alia loca obtinenda adspirantem, misit solemnes nuntios ad principes occidentis, ut insinuarent omnibus regni Jerosolymitani importantes necessitates et Christianorum in ibi afflictiones et casuum imminentium pericula. Nuntii ergo illi feliciter ad partes occidentales venerunt et praedicantes regni Jerosolymitani pericula nihil profecerunt, nec fuit auditus in principibus nec in praelatis ecclesiae.</p> <p>Porro Saladinus quotidianas irruptiones fecit in regnum Jerosolymitanum et hostium incessanter angebatur minis et gravibus molestiis fatigabatur regnum, unde anno Domini 1171. anxiatus rex Almaricus alios solemnes nuntios misit in occidentem, ipse etiam per se in propria persona cum classe X galearum ad imperatorem Constantinopolitanum accessit, et necessitates regni Jerosolymitani proponens et negotio peracto rediit in Jerusalem. Tandem rex Jerusalem Almaricus, cum aliquibus mensibus febre fatigatus decubuisse, mortuus est anno ab incarnatione Domini 1175., regni ejus anno 12. et aetatis suae 33. Sepultus est autem inter praedecessores suos, secus fratrem, in eadem linea ante locum Calvariae.</p>	